



**S. Caecilii Cypriani Carthaginiensis Episcopi, Totivs
Africae Primatis Et Gloriosissimi Martyris Opera**

Cyprianus, Thascius Caecilius <Heiliger>

Coloniae Agrippinae, 1617

Carmen, ad Senatorem Apostatam.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-80176](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-80176)

28. Quodque nequit proferre] *Fabric.* Quodque cauet, minus recte.
 29. pingue crematae] *Virus aquæ] Elegantiôr est & hac Morelij lectio, quam alterius: crematum.*
 30. Ut semel impositum doceant conficere venam] *Fabric.* imposita vena.
 31. adnabit inertis ad ora Nauigij] *Placet & hoc Morelij, pro: annabit mercis ad ora. Hoc autem significat ita hærere bitumen nauigij, ut solui non possit nisi mentruo famimeo, cuius rei locuples testis est Iosephus bello Iudæo lib. 5. cap. 5.*
 32. Velificabit apex] *Cauchius censent legendum: Velificabit, sed neque hoc locum perspicuum reddit.*
 33. Quis pectora dura timorem Deferuerit Dei] *Hoc ex coniectura Cauchij, pro: corpora dura.*

AD SENATOREM EX CHRISTIANA RELIGIONE AD IDOLORUM SERVITUTEM CONVERSUM.

ARGVMENTVM.

Senatorem grauitè increpat, quod ante Christianus & Consul, Iſidis seu matris Deum sacerdos fieri non sit veritus. Hortatur itaque, ut saltem in senectute respiciat. Porro cuiuscunque sit, venusti Auctoris esse patet, quod adhuc tunc vigerent Iſidis illa sacra: fortassis etiam Tertulliani.

Quum te aduersis iterum vanisque viderem
 Inferuire sacris, prisque errore teneri;
 1 Obſtipui monitus: quia carmina semper amasti,
 Carmine respondens, properavi scribere versus;
 Ut te corripere, ten ebras præponere luci.
 Quis patiar enim, te matrem credere magnam
 Posse deam dici, rursusque putare colendam,
 Cuius cultores infamiam turpis inurit?
 2 Namque sacerdotes tunicis muliebribus idem
 Interius ritum cultu interiore fatentur;
 Idque licere putant, quod non licet: unde per orbem
 Leniter incedunt, mollia voce loquentes,
 Lapſatoque tenent extenso pollice lumbos,
 Et proprium mutant vulgato crimine sexum.
 Cumque suos celebrant ritus, his esse diebus
 Se castos memorant: at si tantummodo tunc sunt
 Ut perhibent, casti reliquo iam tempore quid sunt?
 3 Sed quia coguntur saltem semel esse pudici,
 Mente fremunt, lacerant corpus, fundunt que cruorem.
 4 Quale sacrum est vero quod fertur nomine sanguis?
 Nunc etiam dicis, quod te non fecerit etas,
 Sed tua religio caluum: caligaeque remota
 Gallica, sit pedibus molliret missa papyro.
 Res miranda satis delectaque culmine summo,
 Si quis ab Iſidæ Consil procedat in orbem,
 Risus oris erit: quis te non rideat autem,
 Qui fueris Consul, nunc Iſidis esse ministrum?
 Quodque putet primo, se non pudet esse secundo,
 Ingeniumque tuum turpes damnare per hymnos
 Respondente tibi vulgo & lacerante Senatu.
 Teque domo propria pictum cum fascibus ante,
 Nunc quoque cum sistro faciem portare caninam.
 5 Hæc tua humilitas, sed humilitatis imago est.
 Edibus illa tuis semper monumenta manebunt.
 Rumor & ad nostras peruenit publicis aures,
 Te dixisse: Dea erravi, ignosce, rediui.
 Dic mihi si valeas, cum talia sepe rogares,
 Et veniam peteres, qua tecum, verba locuta est?
 Vere mente cares, sequeris qui mente carentes.
 Hæc iterum repetis, nec te relinquere sentis.
 Quid mereare vide: minus esse forte notandus,
 Si tantum hoc scires, & in hoc errore maneres:
 At cum vericolas penetraueris ostia legis,
 Et tibi nosse Deum paucis accesserit annis,
 Cur linquenda tenes, aut cur retinenda relinquis?
 Nilque colis, dum cuncta colis; nec corde retractas
 Vera quid a falsis, quid ab umbris lumina discent.
 Philosophum fingis, cum te sententia muret:
 Nam tibi si stomachum popularis mouerit aura;

Et Iudæus eris, totisque Incertus haberis.
 Indulge dictis, sapientia non placet alta:
 Omne quod est nimium contra cadit: vnum operantur,
 Et calor & frigus: sic hoc, sic illud adurit,
 Sic tenebra visum, sic Sol contrarius aufert,
 Et pariter ladunt gelidum feruensque lacrum,
 Eſca alitur corpus, corpus corrumpitur eſca;
 Vimque suam minuit, si quid protenditur ultra.
 Denique si sedas, requies est magna laboris;
 Si multum sedas, labor est. Maro namque Poeta
 Pro pena posuit: 6 fedet, æternumque sedebit
 Infelix Theſeus; semper nocet vile longum;
 Prandia longa nocent, ieiunia longa fatigant:
 Sic nimium sapere stultum facit improba scita.
 Me dea sic docuit, moderamen amabile dixit.
 Sed tu nec sectam modo, nec moderamina curas;
 Mens autem stabilis nullo peruertitur æstu.
 Ipsaque simplicitas nunquam mala cogitat vlla.
 Hinc sincera fides æterna fide fruetur:
 Et contra dolus longo cruciabitur igni.
 Elige quid velis, ut digna piacula vites.
 Sic tamen hanc veniam mereatur creditor inquam,
 Ut leue crimen eris, si nolis noscere vera;
 Non leue crimen erit, si cognita verarelinquas.
 Sed te correctum fors iam matura senectus
 In melius reuocat satiatum erroribus istis;
 Tempus enim mutat mala, digerit omnia tempus.
 Tunc igitur cum te consulari reduxeris atas,
 Disce Deo seruare fidem, ne forte bis vnum
 Incurras lapsum; quia vere dicitur illud:
 Qui pedis offensus lapidem vitare secundo
 Nescit & incautus iterum vexauerit artus;
 Imputet ipse sibi, 7 nec casibus imputet vllis:
 8 Corrige delictum fidamine, corrige mentem.
 Sufficit peccare semel, desiste vereri:
 Non eris in culpa quem penitet ante fuisse.

ADNOTATIONES.

1. Obſtipui monitus] *Lego monitus, pro eo quod erat: motus; mallem etiam legi: Obſtipui, nisi alibi legeretur apud Cyprianum: mens obſtipuit.*
2. Namque sacerdotes tunicis muliebribus idem] *obſcurus locus & quantum apparet corruptus*
3. Sed quia coguntur saltem semel] *Puto ex vitio operum legi: saltem, apud Morelium.*
4. Quale sacrum vero est quod fertur nomine sanguis] *Etiā hoc carmen obſcurum.*
5. Hæc tua humilitas] *Etiā hic auctor more veterum: h. pro ceteris sonante, vicitur, de quo vido Bedam de arte metrica, nisi forte legendum sit: Hæc non humilitas.*
6. fedet, æternumque sedebit infelix Theſeus] *Proſus ita legendum, nam ita legitur apud Maronem quem citat. Æneid. 6.*
7. Nec casibus imputet vllis] *Etiā hoc lego ex coniectura prot illis*

Corrige delictum fidamine] *Non vox.*

HYMNVS CYPRIANI DE PASCHA DOMINI.

ARGVMENTVM.

Vbi Crucis, Resurrectionis, & Ascensionis mysteria paucis attingit; Baptismum in hebdomada Pascha celebrari consuetum, pulchris metaphoris concelebrat. An autem Cyprianus sit, dubitare me faciunt Ms. cod. Dunensis & Corneli Gualteri, quorum hic proſus ascribit Victorino, ille vero sic habet sub hymni titulum; Cæli Cypriani Episcopi & Martyris hymnus de pascha Domini nostri Iesu Christi explicat. Aut certe secundum quosdam Victorini Pictabionensis Episcopi. Ex quorum etiam viroque & Anglico codice titulum descripsimus: DE PASCHA; pro eo quod Morelius: DE CRUCE, inscribit, & Fabricius: LIGNVM VITÆ.

Et locus ex omni: medium quem credimus orbe, Golgotha Iudæi patrio cognomine dicunt: Hic ego, de sterili succiso robore lignum Plantatum, memini fructus genuisse salubres,